

4; cardinal. de Luca, discours. 99. n. 9. cum communi et certa; dummodo pretium inde comparatum postea restituatur substitutis juxta dicta n. 611.

618. Limitatur V. Si est alienatio necessaria pro competenti dote, Authent. *Res quæ. c. Commun. de legat.*; Tuschus, litt. F. concl. 284. n. 1. citans communem: vel pro alimentis hæredis gravati, et suorum descendendum; cardinal. de Luca, *de Fideicommiss.* discours. 170. et 171; Tuschus, loc. cit. vel pro liberatione possessoris ab hostibus, vel latronibus; cardin. de Luca, *de Fideicommiss.* in *Summa*, n. 294. et communis aliorum.

619. Limitatur VI. Si distractio est utilis, uti fit in casu permutationis fideicommissi pro bono utiliori, ipsi gravato, ac ulterius substitutis; card. de Luca, discours. 157. n. 7. et 8; Tuschus, loc. cit. concl. 283, n. 84. Ratio est, quia in tali casu, et testatoris, et aliorum tacitus præsumitur adesse consensus; cum nulli fiat injuria, nec damnum, sed commodum.

620. Limitatur VII. Si omnes substituti, in quorum favorem fideicommissum factum est, ad alienationem consentiunt. Tuschus, loc. cit. n. 41, dicens ita sentire omnes; et merito ob textum clarum, l. *Quoties. 11. c. de Fideicommissis.* ibi: « Quoties ab omnibus, qui alienatione facta ad fideicommissum petitione adspirare possunt, venditio celebretur, aut quibusdam vendentibus alij consenserint, contractus auctoritas convelli nequaquam potest. » Plures limitationes vide apud Tuschum, loc. cit.

621. *Fideicommissum purum, non item conditionatum transmittitur ad hæredes fideicommissarii.* — Quartus effectus est, quod fideicommissum purum transmittatur ad hæredes fideicommissarii (nisi alii sint substituti) etsi hic ante hæredem gravatum, vel aditam ab ipso hæredem moriatur. Tuschus, litt. F. conclus. 228; Hunn., p. IV. tit. XXIV. c. v. n. 1; Gailus, lib. II, observ. 121, in prin. arg. l. *Postulante.* in prin. ff. *ad S. C. Trebellian.* l. *Cogi.* § *Idem Metianus.* ff. eod. et l. III. c. *de Fideicommissis.* Secus est in fideicommissum conditionali, hoc enim, si fideicommissarius ante hæredem gravatum, vel conditionem adimpletam moritur; ad hæredes fideicommissarii non transmittitur. Doctores citati cum communi aliorum, arg. l. un. § 7. *de Caducis toll.*

622. *Si liberi fideicommissum universali gra-*

*vantur, semper subintelligitur conditio, si absque liberis discedant.* — Quæritur V. Quomodo ante prædicta sint fideicommissa, quibus parens liberos gravat; præsertim addita conditione; « si sine liberis discedant? » Resp. I. Si pater filium hæredem institutum gravat fideicommissum universali, semper tacita subintelligitur conditio, « nisi eisdem liberi nascantur, » ita ut quævis proles præferatur extraneo substituto, l. *Cum avus. 102. ff. de Condit. et Demonst.* et l. *Cum acutissimi. 30. c. de Fideicommiss.* ibi: « Quis filium suum hæredem instituit, et restitutionis post mortem oneri subegit, non aliter hoc videri disposuisse, nisi cum filius ejus sine sobole vitam suam reliquerit. » Ubi etiam ratio subjungitur, videlicet, quia merito præsumitur hæreditatem suam potius propriis descendentibus, quam alienis relinquere voluisse.

623. *Non discedit absque liberis; qui unicam prolem sive masculam, sive femellam habet.* — Resp. II. Quando filius hæres sub dicta conditione tacita, vel expressa; « si sine liberis decesserit, » gravatur fideicommissum universali, deficit fideicommissum, si unica proles gravati sive mascula, sive femella tempore mortis testatoris existat, etsi postea statim decedat. Tuschus, litt. F., concl. 253; Baldus, consil. 386, lib. III; Ancharanus, consil. 396. et communis aliorum, arg. l. *Cum acutissimi. 30. c. de Fideicommissis.* Ratio est, quia liberorum appellatione veniunt etiam femellæ: et qui vel unicam prolem post suam mortem relinquit, non dicitur sine liberis decessisse. l. *CXLVIII. de Verb. signif.* ibi: « Non est sine liberis, cui vel unus filius, unave filia est: hæc enim enuntiatio: Habet liberos, non habet liberos, semper plurativo numero profertur. » Quod si vero filius hæres gravatus liberos quidem genuit, ii tamen ante ipsum adhuc sunt mortui, fideicommissum procedit, et devolvitur ad fideicommissarium a testatore designatum. Tuschus, loc. cit. conclus. 254; Ruin., lib. II. consil. 7. n. 5. et communis aliorum, arg. cit. l. XXX. c. eod. Ratio est, quia purificatur conditio, et verum est, « quod sine liberis decedat; » etsi prius aliquos habuerit.

624. *Si proles fideicommissum gravata sub conditione: Si sine liberis discedat, ingreditur monasterium, devolvitur hæreditas ad monasterium.* — Resp. III. Si filius sub præfata conditione, fideicommissum universali gravatus ingreditur monasterium, honorum capax, ibi que profiteatur, excluditur substitutus, et suc-

cedit monasterium Covarruvias, lib. I. *Variar. resolut.* c. XIX; Layman, l. III. tract. V. cap. X; Pirhing, h. t. n. 74, et communis aliorum. Authent. *Nisi rogati. c. ad S. C. Trebellian.* et c. *In præsentia. 8. de Probat.* ubi simili casu proposito, pro monasterio judicatum est. Ratio desumitur ex præsumpta voluntate testatoris, qui, si de monasterio, in quo filius profiteretur, cogitasset, illud præ alio extraneo amatorem, et in favorem ejus dispositurum fuisse, merito præsumitur.

625. *Nisi de contraria voluntate testatoris aliunde constet.* — Limitatur autem conclusio in casu, quo de testatoris contraria voluntate constat, ut si dicit, uti potest: « Si filius monasterium ingreditur, aut clericus fiat, etc. obveniat hæreditas Titio, » etc. Covarruvias, loc. cit.; Layman, loc. cit.; Molina, disp. 409, §. *Hæc vero;* Sanchez, lib. VII. *Moral.* cap. XVI, n. 12; Pirhing, h. t., n. 76. Ratio patet, quia præsumptio cessat, ubi versatur in claris. Barbosa, *de Axiomat. jur.* §. *Præsumptio.* n. fin. Idem dicit, si eadem testatoris voluntas aliunde potest colligi, prout contingit in primogenituris, ac majoratibus, qui ad conservandum splendorem familiæ eriguntur: in his enim exclusio monasterio succedere proximum agnatum, communiter fatentur doctores ut videre est apud Layman, loc. cit.; Sanchez, lib. VII, cap. XV, n. 49; Azorium, tom. I. lib. XII. cap. VIII. q. 5; Covarruviam, loc. cit.; Molinam, disp. 623. Ratio est, quia nec monasterium, nec religiosus filius pro conservanda familia servit, consequenter a fideicommissum exclusi intelliguntur.

626. *Vel hæres iniquo animo fraudandi substitutum hæreditate, intraret monasterium.* — Limitatur secundo, in casu, quo hæres iniquo animo fraudandi substitutum fideicommissum, intrat religionem; Menochius, lib. IV. præsumpt. 83, n. 76; Sanchez, lib. VII. cap. XVI. n. 54 et 55; Pirhing, h. t. n. 76; Abbas, in c. *In præsentia. 8. de Probat.* n. 46. Ratio est; « quia fraus et dolus nulli patrocinari debet, » juxta vulgaria. Præsumitur autem is in fraudem, vel odium substituti religionem intrare, si prius minatur substituto, se in illius odium religionem ingressurum, Menochius, loc. cit. n. 83; Pirhing, loc. cit.; Abbas, loc. cit. et alii. Limitatur tertio, si hæres filius ingreditur monasterium honorum incapax. Cujusmodi sunt monasteria Franciscanorum, ac Cappucinatorum; tunc enim filio religionem profitente, substitutus

illico succedit in fideicommissum. Omnes. Ratio est, quia in tali casu filius habetur loco mortui, Sanchez, loc. cit. n. 13 et 16.

627. *Vel si substituta esset causa pia.* — Limitatur quarto in casu, quo substituitur alia causa pia, v. g. dicendo: « Si filius, vel alius hæres meus sine liberis obierit substituo pauperes, vel volo ut hæreditas erogetur in pauperes, aut pro ædificando nosocomio, hospitali, » etc. Abbas, loc. cit. n. 36; Pirhing, loc. cit. n. 76; Glossa, in cit. c. *In præsentia. 8. de Probat.* cum communi. Ratio est, quia si privilegiatus concurrat cum privilegiato, tunc privilegiis non attentis servandum jus commune; consequenter, si hærede religionem ingrediente liberi eidem non nascantur, hæreditas juxta conditionatam substitutionem restituenda erit piæ causæ substitutæ, arg. c. *Cum causam, de Præbend.*

628. *Fideicommissum quandonam exspiret?* — Quæritur VI. Quandonam exspiret fideicommissum? Resp. Exspirare potissimum in sequentibus casibus. I. Si hæres gravatus moritur ante testatorem, juxta dicta n. 598. II. Si moritur ante aditam hæreditatem l. XIII. § 3. ad finem. ff. *ad S. C. Trebellian.* nisi forsan de adeunda hæreditate mandatum jam acceperit a judice, post hoc enim si moritur, fideicommissum non exspirat etsi ante aditam hæreditatem moriatur. l. *Non justam. 4. c. eod.* Pariter non exspirat ob non aditam hæreditatem, si hæres gravatus hæreditatem transmittit ad hæredes, uti bene observat Bartolus, in cit. l. XIII. ff. *ad S. C. Trebellian.* III. Exspirat, si purificatur conditio in fideicommissum conditionali: v. g. si testator dicit: « Filium meum hæredem instituo, volveque, ut si absque liberis decedat, hæreditas obveniat Caio: » exspirat, si filius relicto uno, vel pluribus liberis decedat. Ratio est, quia actus sub conditione non valet, nisi existente conditione. Per vulgaria

## § XX.

DE LEGATIS, ET FIDEICOMMISSIS PARTICULARIBUS.

629. *Legatum et fideicommissum particulare sunt idem.* — Agimus hic sub una rubrica de *Legatis et Fideicommissis particularibus*, eo quod licet antiquo jure magna fuerit diversitas inter legatum et fideicommissum particulare; hodie tamen inter eadem penitus nulla quoad effectum, et in re ipsa sit diffe-

rentia : prout aperte constat ex l. I. ff. *de Legat. 1.* ibi : « Per omnia exæquata sunt legata fideicommissis, » supple, « particularibus. » Concordat, lib. II. c. *Communia de Legatis*, et § *Sed non*. Instit. *de Legat.* ibi : « Necessarium esse diximus, omnia legata fideicommissis exæquare, ut nulla sit inter ea differentia : sed quod deest legatis, per hoc crescat fideicommissorum natura. » Nulla itaque in effectu, vel re ipsa est differentia, sed tantum in modo, quo fiunt, et relinquuntur, et a quo quodvis suam denominationem accipit. Nam legata fiunt verbis immediate ad legatarium directis ; ut dum dicitur v. g. « Titio lego meam domum, vel centum aureos. » Fideicommissum particulare vero verbis respectu fideicommissarii indirectis, et obliquis, utpote non immediate ad ipsum, sed ad alium hæredem præcipue directis, qui rogatur, vel jubetur, ut rem aliquam certam alteri restituat, v. g. « Jubeo, vel rogo Caium hæredem meum, ut hanc meam domum, vel centum aureos Titio det, et restituat. » Hinc, quia utrumque in re plane convenit, quidquid de legatis dicemus, de fideicommissis particularibus (id est, illis, quo aliquod determinatum in specie verbis obliquis alicui relinquitur) dictum volumus.

630. *Legatum sumitur vel pro ipso actu legendi ; vel pro re ipsa legata.* — Quæritur I. Quid sit legatum ? a quo, et cui fieri possit ? Notandum prius, legatum dupliciter accipi ac defini posse, videlicet, vel pro actu, aut dispositione, qua res aliqua legatur ; vel pro ipsa re, quæ legatur. In præsentem sequentes praxim doctorum, definiemus legatum prout sumitur pro ipso actu, quo quis rem aliquam alteri legat, seu relinquit. Ex hujus enim definitione facile patebit definitio legati sumpti pro re ipsa legata. Hinc

631. *Definitur legatum sumptum pro actu legendi. Pars certa, et res certa hæreditatis non sunt idem.* — Resp. I. Licet multæ in jure afferantur definitiones *Legati*, receptissima tamen est, et optima videtur, quæ § 1. Instit. *de Legat.* datur illis verbis. « Legatum est donatio quædam a defuncto relicta, ab hærede præstanda. » Dicitur I. Donatio loco generis, in quo convenit cum aliis donationibus tam inter vivos, quam mortis causa. Differt vero per id a testamento, utpote quod non est donatio liberalis vel gratuita, sed onerosa, habens annexa onera hæredis, de quibus supra dictum est. Dicitur « quæ-

dam, » id est, cujusdam rei particularis quæ hæreditatis rationem non habet : quia legata non nisi circa res particulares ac in specie, vel potius in individuo determinatas fiunt : v. g. certa domus, utensilia, certa pecuniæ quantitas, vel alia certa bona mobilia, vel immobilia. Et ideo per hanc particulam differt legatum, et fideicommissum particulare a fideicommissum universali, utpote cui tota definitio alias convenit, solo excepto, quod non fiat circa res aliquas in particulari ; sed vel circa totam hæreditatem, vel aliquam certam partem, v. g. circa mediam, tertiam, vel quartam hæreditatis. Nec enim est idem certa ac particularis res aliqua hæreditatis, ac certa pars hæreditatis, l. XIII. c. *de Hæred.* instit. quia certa pars, v. g. tertia pars hæreditatis participat de quavis re certa particulari totius hæreditatis. Dicitur « a defuncto relicta : » quia legata non nisi post mortem legantis robur et firmitatem suam habent ; cum usque ad mortem semper prohibito revocari possint. l. III. § fin. ff. *de Adim. legat.* ibi : « Non solum autem legatum, sed et fideicommissa adimi possunt ; et quidem nuda voluntate. » Et per hoc differt a donationibus inter vivos, utpote, quæ statim ac fiunt, et acceptantur, inter vivos adhuc valent juxta dicta supra tit. XXIV. *de Donationibus*. Quomodo autem differat a donatione mortis causa, dicitur infra § 21. Dicitur tandem « ab hærede præstanda : » quia, quamvis legatarius statim a die mortis acquirat dominium legati, vel saltem certum jus ad illud, juxta dicenda n. 680. et seqq. Tamen propria auctoritate absque pœna legis illud occupare non valet, l. V. c. *de Legat.* sed exspectare debet, donec sibi ab alio tradatur, quod ordinarie fit ab hærede ; licet etiam nonnunquam ab alio, v. g. a legatario, vel hærede hæredis : imo et ab ipso testatore præstari possit legatum, l. *Lucius*. 22. ff. *de Legat.* 2. et l. *Hujusmodi*. 84. § *Si Titio*. ff. *de Legat.* 1. Per quod non infirmatur ista definitio, utpote quæ data est a legislatore circa ea, quæ ut plurimum, et ordinarie fiunt : « Nam quæ semel aut bis accidunt, contemnunt leges. » l. *Jura*. et seqq. ff. *de Legibus*.

632. *Legatum sumptum pro re ipsa legata definitur ; sicut etiam fideicommissum particulare. Legatarius quid ?* — Et ex his facile colligitur, quid sit, et quomodo definiatur legatum acceptum pro re ipsa, quæ legatur : « Est nempe res aliqua particularis, verbis

ad legatarium directis a defuncto relicta, ab hærede præstanda. Fideicommissum particulare pariter est res hujusmodi particularis verbis non ad legatarium, sed hæredem immediate directis, a defuncto relicta, ab hærede præstanda. » Ille, cui legatum, seu res præstanda est, vocatur « Legatarius, seu fideicommissarius particularis. »

633. *Omnes et soli, qui testari etiam legare possunt.* — Resp. II. Omnes, et soli illi legare possunt, qui jus testandi habent. Est extra controversiam. Textu claro l. II. ff. *de Legat.* 1. ibi : « Sciendum est eos demum fideicommissum (adeoque etiam legatum utpote idem cum illo, l. I. ff. eod.) posse relinquere, qui testandi jus habent. » Quinam autem jure testandi, consequenter etiam legendi careant, vide supra § 10.

634. *Qui incapaces sunt hæreditatis, sunt etiam incapaces legati.* — Resp. III. Regulariter illis solis legari quid potest, qui hæredes institui possunt. Communis ac certa. Textus est in § *Legari*. 24. Instit. *de Legat.* ibi : « Legari autem illis solum potest, cum quibus testamenti factio est. » Hinc venit, quod, licet uxor marito donationem inter vivos facere non possit, eidem tamen legare quid possit, eo, quod eundem hæredem instituere queat. Porro quinam hæredes institui nequeant, et per consequens legatorum incapaces sint, vide supra § 13.

635. *Excipiuntur fratres minores, quibus legari potest moderata quantitas ; etsi non possint esse hæredes.* — Dicitur notanter « regulariter ; » quia limitatur conclusio in fratribus minoribus Ord. sancti Francisci ; utpote quibus legatum fieri potest, etsi hæredes institui nullatenus possint, c. *Exiit*. 3. § *A hæc*. *de Verb. signif.* in 6. et Clem. un. eod. dictumque jam est supra n. 403. ubi etiam notavimus attendere debere fratres, ne legata in nimia quantitate recipiant, ex qua fraus præsumi merito posset. Nec enim licet eis (inquit Pontifex Clem. un. § *Quia igitur*, *de Verb. signif.*) valorem hæreditatum, vel tantam earum partem, quod præsumi possit, hoc in fraudem fieri, quasi sub modo, et forma legati sibi dimitti facere, vel sic dimissa recipere ; quin potius ista sic fieri ab eis, simpliciter prohibemus. » Quænam autem sit quantitas excessiva, ita ut in fraudem præsumi possit, ministri, et custodes, non item guardiani ex præsentem vel imminente necessitate arbitrari debent. Roderiq., qq. reg. tom. II, q. 27, a 1 ; Sanchez, loc. c. cit.

Sorb., in *Compend. privileg.* §. *Legata*. et alii arg. c. *Exiit*. § *Insuper nec utensilia*, *de Verb. signif.* in 6. Qui ministri non unius, sed plurium conventuum necessitatem attendere possunt ac debent, ut proin licet legatum respectu unius conventus videatur immoderatum, tamen respectu provinciæ, seu aliorum conventuum sit necessarium.

636. *Ut tamen legatum valeat, modo illicito fieri non debet. Et quis talis modus illicitus, vel licitus ?* — Porro ut legatum fratribus minoribus factum valeat, illudque fratribus licite acceptare queant, necesse est, quod factum non sit tali modo, qui fratribus est prohibitus in regula : qualis foret, « si testator legare vineam, vel agrum ad excolendum, domum ad locandum, aut similia verba in similibus proferret aut modos similes in relinquendo servaret : » uti dicitur c. *Exiit*. *de Verb. signif.* in 6. ubi præcipitur, ut « a tali legato, et ejus receptione per omnem modum fratres abstineant. » Concordat Clem. *Exiit*. eod. § *Licet vero*, ubi pariter præcipitur, quod si legaretur « ager, vel vinea ad excolendum, vel hortus, ut olea vel hortalia pretio distraherentur, » etc., a tali legato abstineant fratres, ratio additur : videlicet, quia « præmissa habere, ut pretium fructuum statis temporibus habeatur, ad naturam, et formam proventuum (qui fratribus sunt prohibiti) appropinquat. »

Si vero modum licitum fratribus in legando expresserit testator, ut si diceret : « Lego pecuniam pro fratribus necessitatibus expendendam, vel domum, agrum, vineam, et similia, ad hoc, quod per certam personam, vel personas idoneas distraherentur, et pecunia de rebus ipsis accepta, in ædificia, vel alia fratrum necessaria convertantur : aut in legando similibus modis, vel verbis utatur, » secure legatum accipere possunt fratres, in quacunque dein re, sive mobili, sive immobili consistat, prout expresse deciditur, cit. c. *Exiit*. *de Verb. signif.* in 6.

Pariter absque ullo scrupulo accipere possunt quodvis non excessivum legatum, si testator aliquid generaliter absque modi expressione legat, cit. c. *Exiit*. *de Verb. signif.* in 6. Ratio ibidem assignatur ; quia tale legatum « sub modo licito intelligitur, » et præsumitur « relictum, ita, quod nec legans merito, nec fratres ipsi effectu relictum fraudentur. »

637. *Hæres nolens præstare fratribus legatum, potest cogi a iudice ; qui ut officio suo*

fungatur, etiam a fratribus rogari, et moneri potest. — Quod si hæres legatum fratribus licito modo relictum tradere nollet, cogi posset a iudice tam sæculari, quam ecclesiastico etiam nemine petente; ut bene docet Sanchez, lib. VII. *Moral.* cap. xxvi, n. 60 et 61; Barbosa, in c. *Exiit. de Verb. signif.* in 6. n. 14. et alii, arg. cit. c. *Exiit.* ubi etiam hortatur Papa, « ut prælati et sæculares, quibus de jure vel consuetudine provisio ista competeret, cum expedierit se ex officio suo promptos exhibeant ad pias voluntates deficientium adimplendas. » Possunt etiam ipsi fratres iudicem extra judicialiter rogare, et monere, ut officio suo fungatur. Sanchez, loc. cit.; Sylvester, *ÿ. Hæreditas.* 1. q. 7. dict. 1 n. 10; Corduba, Roderiquez, et alii a Sanchez citati. Ratio est, quia ita monendo et rogando, nec actionem instituunt, prout non possunt, arg. Clem. *Exivi. § Cupientes. de Verb. signif.* Nec jus aliquod in hujusmodi legatum præferunt, consequenter nulla ratione illicite agunt. Plura de legatis factis ordini minorum vide apud Sanchez, loc. cit.; Roderiquez, tom. II. qq. regul. q. 27; Sorb., *ÿ. Legata;* Corduba, et expositores regulæ. Insignem etiam tractatum de *Monientium Eleemosynis*, et legatis scriptis Cyrillus Buhens capace ans.

638. *De annuis legatis. Remissive.* — An autem, et quomodo fratres minores sint capaces legatorum annuorum, præsertim perpetuorum, dicemus infra tit. XXXIX. *de Censibus.*

639. *Legata in et extra testamentum fieri possunt, oretenus, et in scriptis.* — Quæritur II. Quotuplex sit, et quomodo fieri possit legatum? Resp. I. Legata fieri possunt tam in quam extra testamentum: tam oretenus quam in scriptis. Tota conclusio communis est, ac certa. Et quidem, quod in testamento fieri, eisque inseri possit, abunde patet ex dictis. Quod vero absque illo, seu sine illo fieri queat, constat ex tot. tit. ff. *Le Legat. Item.* Instit. et c. *de Codicill.* Quod non tantum in scriptis, sed et oretenus fieri valeant, expresse dicitur c. *Indicante.* 4. h. t. ibi: « Nudis verbis, etc., et l. fin. § 3. c. *de Codicillis.* ibi: « Sive in scriptis, sive sine scriptis conficiatur voluntas. »

640. *Legatum est multiplex. Aliud purum.* — Resp. II. Possunt legata, vel pure, vel in diem, vel sub conditione, vel sub modo, item vel sub demonstratione, vel sub causa fieri. Et hinc alia sunt, et dicuntur legata

pure; alia in diem: alia conditionata seu sub conditione, alia sub modo; alia sub causa; alia sub demonstratione. Molina, disp. 203. n. 1. cum communi. Patetque inductione. Legatum purum est, pureque fieri dicitur, quando absque ullo adjecto tempore, conditione, vel modo simpliciter fit. § *Omnis.* 2. Instit. *de Verb. obligat.* Quamvis etiam alias latius sumatur, prout nempe omne illud dicitur legatum purum, quod sine conditione in futurum fit: prout constat ex l. *Hæres meus.* 79. prin. ff. *de Condit. et demonstrat.* ibi legatum in diem parum dicitur, quia sub conditione factum non est: dicit namque lex: « Hæres meus, cum morietur Titius, centum ei dato, purum legatum est: quia non conditione sed mora suspenditur. »

641. *Aliud in idem.* — Legatum in diem est; et fit, quando testator quid legat tradendum certo post mortem tempore determinato, ut si dicat testator: « Lego Titio centum florenos tradendos eidem biennio post mortem meam elapso. » arg. toto tit. ff. *Quando dies legat. cedat.* et cit. § *Omnis.* 2. Instit. *de Verb. obligat.* ibi: « In diem, quando adjectio die, quo pecunia solvatur, fiat. » Ubi tamen notandum: quod si dies vel tempus incertum apponatur, legatum conditionatum, et non in diem appelletur, l. *Dies incertus,* ff. *de Condit. et demonstrat.* ibi: « Dies incertus conditionem in testamento facit. » Cæterum legatum in diem hanc proprietatem habet, quod transmittatur ad hæredes, si legatarius post mortem testatoris moritur ante diem solutioni determinatum, l. *Si post diem.* 5. prin. et l. *Si dies apposita,* 21. ff. *Quando dies legat. cedat.* Ratio est, quia post aditam hæreditatem dies statim cedit, ita ut illico contrahatur obligatio legatum solvendi, non quidem statim, sed pro die vel tempore per testatorem denominato, l. I. § *Cum dies.* ff. *de Condit. et demonstrat.* Cedere enim diem aliud non est, quam incipere obligationem, licet executioni mandari non statim debeat.

642. *Aliud conditionatum. Conditio proprie quid?* — Legatum conditionatum, seu sub conditione est, et fit, quando quid non nisi sub certa conditione de præterito, præsentis, vel futuro præstandum legatur: v. g. sub conditione de præterito fit; dum dicit testator: « Lego Titio centum, si navis ex India am advenit. » l. *Conditio in præteritum.* 100. ff. *de Verb. obligat.* Sub conditione de præterito fit, quando testator dicit: v. g. « Si

Rex Romanorum adhuc vivit, centum lego. » l. *Cum ad præsens.* 37. ff. *de Reb. credit. et si cert. petat.* Sub conditione de futuro fit, v. g. dicendo: « Centum lego, si navis non erit submergenda; si consul fies, » etc., arg. § *Sub conditione.* Instit. *de Verb. obligat.* Et hoc dicitur proprie « legatum conditionatum, » seu « sub conditione » factum, id vero quod sub conditione de præsentis, vel præterito fit, non nisi improprie; eo quod sola conditio de futuro sit proprie conditio, arg. § *Sub condit.* Instit. *de Verb. obligat.* et l. *Itaque.* ff. *de Rebus creditis.* ibi: « Itaque tunc potestatem conditionis obtinet, cum in futurum confertur. » Hinc legata sub conditione de præsentis, vel præterito nullatenus suspenduntur, sed, si conditio vera est, illico debentur, si non evanescent. cit. l. *Cum ad præsens.* ff. *Si certum petat.* et § *Conditiones.* 6. Instit. *de Verb. obligat.* ibi: « Conditiones, quæ ad præsens, vel præteritum tempus referuntur, aut statim infirmant obligationem, aut omnino non differunt: nam si ea ita non sunt, nihil valet: si autem ita se habet, statim valet. »

643. *Legatum sub conditione de futuro, quando valeat? Conditio potestativa, casualis, mixta, turpis, possibilis, impossibilis, honesta, etc. Quid?* — Porro legatum sub conditione de futuro contingenti eodem fere modo se habet, quo institutio hæredis sub conditione, de qua supra n. 437. ita, ut fieri possit, et valeat, si sit honesta et possibilis, potestativa vel casualis, aut mixta: Si vero conditio sit turpis, vel impossibilis, habeatur pro non adjecta: consequenter legatario legatum etiam deficiente conditione debeatur, ac si sine omni conditione eidem factum fuisset. Quid vero conditio potestativa, casualis, mixta, turpis, honesta, possibilis, ac impossibilis, vide supra n. 437.

644. *Conditio, si non nubat, legato apposita, habeatur pro non adjecta.* — Quæritur III. Quid juris de legatis conditionalis? « Si nupserit, vel non nupserit: » Item « Si religionem ingredietur, vel non: Si Ordines suscipiat, vel non. » Resp. I. Si alicui, quæ huc usque nunquam erat matrimonio juncta, quid legatur hac conditione, « si non nubat, » seu « Si maneat in statu cælibatus, » habeatur conditio pro non adjecta, capitque legataria persona totum legatum, etsi nubat. Communis ac certa, claris juribus l. *Sed si hoc.* 62. cum duabus seqq. ff. *de Condition. et demonstrat.* Ratio est, quia videtur talis conditio

esse contra favorem matrimonii, et Reipublicæ bonum ex procreatione prolis proveniens. arg. l. *Hoc modo.* 6. ff. eod.

645. *Si legataria nunquam adhuc fuit juncta matrimonio: secus, si est vidua.* — Dicitur autem notanter, « alicui quæ nunquam erat juncta matrimonio; » quia si sub tali conditione viduæ quid legatur, conditio adimpleri debet, adeo, ut licet talis vidua dicens, se velle conditionem servare, et a secundis nuptiis abstinere petere possit legatum, nihilominus tamen cautionem præstare debeat, quod nubens iterum restituere velit acceptum legatum, textu claro Authent. *Cui relictum.* c. *de Indict. viduit. toll.* et novell. 22. cap. XLIII. Et per hoc correctæ sunt jura antiqua præced. n. citata, vi quorum talis conditio etiam de legato viduæ facto habeatur pro non adjecta.

646. *Nec refert, an legataria persona sit masculus, vel femella.* — Cæterum, quæ de legato sub dicta conditione facto femellæ dicta sunt, intelligenda etiam sunt de legatis hujusmodi factis masculo, ita ut conditio habeatur pro non adjecta, si uxorem adhuc non habuit; valeat vero, si sit viduus, arg. cit. Authent. *Cui relictum.* c. *de Indict. viduit. toll.* et ibi Glossa cum communi doctorum advertit. Accedit identitas rationis supra positæ.

647. *Valeat conditio: si non nupserit Titio: vel uni ex certis determinatis.* — Resp. II. Cum ita legatum sit, « Si Titio non nupserit; » vel ita, « Si neque Titio, neque Seio, neque Mævio nupserit: » et denique, « Si plures personæ comprehensæ fuerint; magis placuit, cuilibet eorum si nupserit, amissuram legatum: » sunt verba l. *Cum ita.* 63. ff. *de Condit. et demonstrat.* ubi etiam ratio subjungitur, videlicet, quod per talem conditionem matrimonium absolute non prohibeatur; cum alii cuilibet satis commode possit nubere.

648. *Item valeat conditio: Si Casio, vel uni certo nupserit; vel si liberos acquisierit.* — Resp. III. Conditio legato apposita: « Si nupserit, et liberos acquisierit; » vel « Si certa alieni personæ, v. g. Titio nupserit, » valida, et observanda est, l. *Cum ita.* 63. et l. *Titio centum.* § 1. ff. *de Condit. et demonstrat.* ubi etiam ratio additur, videlicet, quia licitum est « ad matrimonium certa lege invitare. » Limitatur tamen conclusio in casu, quo persona, cum qua legatarius vi conditionis contrahere deberet, esset inhonesta, vel